Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 425
Quelle:
Copyright:

Nil variat a textu *Bibl. PP. Lugd.* T. X. p. 125. Inſcriptio Epiſtolae alterius: *Domino beatiſſimo atque apoſtolico. et in toto orbe primo omnium ſacerdotum pape uigilio arator ſubdiaconus.* Initium:

Moenibus undoſis (undiſonis) *bellorum incendia cernens* &c.

Hic Codex v. 3. *ſanctiſſime papa uigili.* V. 4. *Aduenis.* V. 25. *ſonis* pro *modis.* V. 26. *Jeremiae.* V. 27. *quae* pro *quod.* Geminas has Dedicationes excipit ipſum *Poema* in II. *Libros* tributum praemiſſo, quod Priorem adtinet, ſummorum Capitum Elencho, quae Capita ſive Argumenta ſuis locis fuſius repetuntur. Libri I. initium:

Ut ſceleris iudea ſui polluta cruore &c.

Ad hujus calcem: *Explicit liber petri. Incipit liber pauli.* Huic *Libro* II. non praemittitur Elenchus; ante ſingulas tamen Περιοχας Argumenta comparent. Ejus initium:

Spiritus accenſam uerbo radiante lucernam &c.

Ad calcem: *Explicit liber aratoris Subdiaconi.*

Codicis hic finis laudem dicamus et heli.

Haec *p. 1. folii ult.* quod e veteri *Miſſali*, ut relicta docent veſtigia, reſcriptum eſt, ſed p. 2. additum Dodecaſtichon leoninum non raro in Metri leges peccans, quo recenſetur et commendatur *Arator* hoc initio:

Noſcere doctoris verſus qui uult aratoris
Actus non modicos noſcet apoſtolicos.
Qui miranda ſonant. cunctis utilia donant
Dant quia poſſe quidem ſumere quosque fidem &c.

Ut porro futurum *Aratoris* editorem ad hujus quoque *Codicis* cum eo, quem ſupra indicavi, conjuncti pretium advertam, Loca quaedam adſcribam, quorum lectio a Textu *Bibl. PP.* memoratae abit. Ita L. I. v. 3. *ſine ſemine* pro *crimine.* V. 23. *Usque ſub extremum* pro *Usque ad.* V. 28. *quia germine* pro *qua germine.* V. 33. *in orbem* pro in *axem.* V. 35. *Deus petiit* pro *petit.* V. 46. *per ſubdita jura* pro *ſubita.* V. 48. *His nunciat acta* pro *bis nunciat.*